

Koscielecki Janusz, Palat. Sivad.

Kuchleri Jacobi: Epicedion
in funere Januic a Koscia-
leu-

Witebergae. 1565.

PANEG. et VITAE

Poton.

N^o. 408.



no. 5328

5328

SIMELIA

34. IV. 42.

EPICEDION
IN FVNERE ILLVSTRIS
ET MAGNIFICI DOMINI D. IANV.
SII à KOSCZIELECZ Palatini Stradiensis
Maioris Poloniae generalis, Naclensisq; Capitanei,
Qui obiit Posnaniae 8. Decembris, Anno
1564. Scriptum Posnaniae

IACOBO KVCHLERO
Hirsbergensi Silesio.



WITEBERGÆ EXCVSVM
A LAURENTIO
Schwenck.

ANNO M. D. LXV.

AD ILLVS: ET MAGNIF: DOMI: D.

IANVSIVM à KOSCZIELIECZ AVVNCVLVM
suum dilectissimum pie in Christo defunctum ALBERTVS
KOMIENIECZKY à Camieniecz.

ERgòne mors rapuit te dilectissime nobis,
Abstulit insignem Parca seuera uirum?
Præstamem pietate uirum, meritisq; potentem,
Tota tuam sensit Sarmatis ora fidem.
Nos te igitur mœsto sublatum corde dolemus,
Perpetuò nobis patris amande loco.
At tuus ante Deum nunc Spiritus æthere uiuit,
Nominis & superest inclyta fama tui.

IOHANNES KAMIENIECZKY
à Camieniecz.

TE nobis fato lugemus auuncule raptum,
In nos cuius erat uera paterna fides.
Quem pia POSNA dolet, Siradia, Sarmatis ora,
Ipse etiam AVGVSTVS regia sceptrum tenens.
Sed licet extinctum sit corpus, at æthere uiuit
Salua tamen merito mens pie CHRISTE tuo.

RESPONSIO D. IANVSII à KOSCZIELECZ &c.
Scripta à M. MARTINO HENRICO.

Sistite uos pueri lacrymas, deponite luctum,
Vita mihi CHRISTVS, mors mihi dulce lucrũ.
Illius, ablutus uicijs, nunc sanguine uiuo,
Illius estq; mihi morte redempta salus.
At nobis fratrum non deerit cura meorum,
Qui me protexit, uos teget ipse Deus.
Cum membra in uitam somitu reuocata resurgent,
Et uiuent animæ corpora iuncta suæ.
Tunc uos aspiciam rursus, tunc alloquar ultrò,
Dulcis & amplexus tunc mihi uester erit.
Tunc uno æternum celebrabimus ore parentem,
Tunc Deus in Sanctis omnibus unus erit.
Felix ô nimium felix, qui sanguine CHRISTI
Fata subit, uiuens non dubitante fide.

EPICEDION.

TRiste leues Elegi nobis modo pangite carmen,
 Flebile vos meritò nomen habere decet.
 Inq̄ meo mæsto lugubria neçtite verba
 Carmine, sint lacrymæ quod fuit ante Melos.
 Vos etiam Musæ viridem modò ponite laurum,
 Lugentes etenim non decet iste color.
 Cingite ferali funebria iusta Cupressò,
 Testetur luctum vestis & atra grauem.
 Cur ita? quæ luctus tanti quæ causa doloris?
 Mæstitiæ quid vos edere signa monet?
 Occidit heu nimium fato præreptus acerbo
 Heros, Sarmatici gloria magna soli,
 Eximia præstans virtute IANVSIVS Heros,
 Maxima KOSLETIÆ lausq̄ decusq̄ domus.
 Quo rectore fuit Respublica nostra beata,
 Quo sublato eadem non leue vulnus habet.
 Namq̄ fuit patriæ semper studiosus honoris,
 Urbane custos vtilitatis erat.
 Hunc sibi Sarmatiæ Regnum deplorat ademptum,
 Cuius erat viuens non mediocre decus.
 Signa dat Augustus quoq̄ Rex manifesta doloris,
 Extinctum talem quàm gemit ille virum?
 Hunc proceres lugent, tota cum plebe Senatus,
 Atq̄ omnes clara nobilitate viri.
 Hunc dolet abreptum mæsto SIRADIA vultu,
 Vsa Palatino quo fuit ipsa pio.

Quid referam, quantum **POSNANIA** clara dolorem
Testetur, quoniam perdidit orba patrem.
Illi cura fuit ciues ac iura tueri,
Rebus & afflictis ferre salutis opem.
Deniq; cunctorum sunt pectora plena dolore,
Extinctum hunc omnes corde dolente gemunt.
Et merito, quis enim tristem cohibere dolorem
Pectore? quis lacrymas continuisse queat?
Quando obiit patrie spes altera, prima Senatus
Gloria, Sarmatici maxima fama soli:
In quem tot dotes natura benigna locauit,
Quas Elegis possum vix memorare meis.
Vix alius patrie quisquam studiosior illo,
Aut maior meritis aut pietate fuit.
Quid genus Heröis, clarum quid nomen auorum?
Quidq; domus veteris nobile stemma canam?
Inter Sarmaticos proceres Regniq; Senatum
Non is postrema parte locandus erat.
Nam fuit eloquio nulli, ingenioq; secundus,
Nemo, hunc consilio qui superaret, erat.
Ille bonas artes primis percepit ab annis,
Excoluit studijs pectus & vsq; bonis.
Hinc illi accreuit prudentia maxima rerum,
Iudicio fuit hinc consilioq; potens.
Illius eximiam meruit facundia laudem,
Res vbi erat claros inter agenda viros.
Hunc igitur summo Rex est dignatus amore,
Et sua virtuti præmia digna dedit.

Namq;

Namq̄ Palatini cupiens hunc munere fungi,
Nobilibus iussit reddere iura viris.
Commisitq̄ illi tractanda negotia Regni,
Hic ubi Posnanos Varta pererrat agros.
Sarmatiæ partem rexit, quæ maior habetur,
Regis ubi gessit non sine laude vices.
Iusticiæ quia erat mirè studiosus & æqui,
Seruauitq̄ bona publica iura fide.
Dumq̄ Magistratum gereret, bona multa peregit,
Ingenio, eloquio, consilioq̄ potens.
Ornauit summa Regni virtute Senatam,
Causarum molem sustinuitq̄ grauem.
Publica priuatis bona præposuisse solebat,
Se propria haud passus commoditate trahi.
Non illum instabiles placantia munera sensus,
Gratia non animos impulit vlla graues.
Non fauor aut odium nocuit, vel profuit vlli,
Si qua fuit iusto lis dirimenda viro.
Ille grauis scelerum vindex punire solebat
Sontes, ille bonis præmia iusta dabat.
Non rigidus, non ore minax, sed mitis in omnes,
Ingenio & pacem semper amante fuit.
Quid memorem egregios generoso in pectore motus?
Quæ fuerit mentis dexteritasq̄ piæ?
Ille suos mores magna grauitate regebat,
Tota carens illi crimine vita fuit.
Sobria laudatæ transegit tempora vita,
Seruauit casti fœdera sancta thori.

Præcipueq; Deum sincera mente colebat,
Illius & verbi perstudiosus erat.
Quidquid & ad Christi laudem spectare putabat,
Effectum summa sedulitate dedit.
Quid loquar, ingenuas quo pectore fouerit artes?
Quæ fuerit doctos cura iuuare viros?
Mente etiam prompta benè subueniebat egenis,
Pauperibus larga præbuit æra manu.
Perpetuæ his factis peperit sibi laudis honorem,
Illius hinc semper fama superstes erit.
Has animi ob dotes, præclaræ & munera vitæ,
Nestoreos annos viuere dignus erat.
O vtinam tales Regno contingat habere
Heroas, felix terq; quaterq; foret.
Iure beata etenim dici Respublica debet,
Quæ tam præstantes gaudet habere viros.
Talis & hic tantus, quid ni doleatur ademptus?
Non fleat orbata hoc Sarmatis ora viro?
Quid lacrymæ profunt? stultum est sine fine dolere?
Inuida nemo hominum flectere fata potest.
Nascimur & mortis subiecti legibus omnes
Viuiamus, incerta est hora diesq; necis.
Nostra Dei in manibus sunt omnia tempora vitæ,
Illius arbitrio vita stat atq; cadit.
Ergo Dei quoniam fuit hæc quoq; sancta voluntas,
Mortali ex vita tollere tale decus:
Sit modus in lacrymis, cum luctu vincere nemo
Fata queat, fieri hoc nam iubet ipse Deus.

*Quin illi vitam gratemur corde beatam,
Durat in æternos quæ sine fine dies.
Num. vbi CHRISTE tua preciosa morte redemptus
Conspectu fruitur lætitiâq. DEI.
Mens procul à mundo, mortali carne soluta,
Mollia perpetuæ tempora pacis agit.
At tuba dum sonitu diuina resuscitet omnes,
In terris placidè corpus inane cubat.*

FINIS.



FINIS
EPITAPHIVM
EIVSDEM.

*Quisquis ad hæc structi venies monumenta sepulchri,
Siste parum, vt tumulo verba notata legas.
Mole sub hac recubat præstans IANVSIVS Heros,
Maxima KOSLETIÆ fama decusq. domus.*

Sarma

Sarmatiae maioris erat qui praeses in urbe,
 POSNA, quam rexit sedulitate bona.
 Omnibus illius nota est Heroica virtus,
 Dexteritas mentis, Religionis amor.
 Summa in eo rerum prudentia, summus & usus,
 Eloquio valuit consilioq; bono.
 Illius ornabat generosa modestia mentem,
 Non erat is fastus asperitate grauis.
 Natura facilis, mansuetus & equus in omnes,
 Officijs cunctos demeruitq; sibi.
 Iusticiae fuit ille & seruantissimus equi,
 Nec propria voluit commoditate trahi.
 Publica tractavit cum laude negotia Regni,
 Sincera asseruit publica iura fide.
 Tot simul at dotes tot in vnum condita pectus,
 Munera, mors quida traxit aebra manu.
 Corporis hic gelido conduntur membra sepulchro,
 Spiritus at vivit perfruiturq; DEO.

F I N I S.

M P I T A P H I V M

BIBLIOTH. UNIV. EIVSDEM



V. n. p. h. o. d. h. e. c. s. p. i. n. i. s. v. i. d. e. t. u. r. q. u. o. d. h. i. c. e. s. t. u. m. m. o. n. u. m. e. n. t. u. m. s. e. p. u. l. c. h. r. o. i. s. s. i. s. t. e. r. e. p. o. r. t. u. m. d. e. s. i. n. g. u. l. a. r. i. s. l. e. g. e. s. s. e. n. s. i. s. h. o. r. u. m. R. o. s. e. l. l. i. e. h. a. b. e. n. d. a. t. u. r. p. r. o. s. t. r. a. m. I. N. T. E. R. H. o. r. u. m. M. a. x. i. m. a. R. o. s. e. l. l. i. e. h. a. b. e. n. d. a. t. u. r. d. o. m. u. s.

5 Quid fact/ant.
84. 1v. 38. br 42
1 fctio fact/ant Vanlin 2 alle

6 Quid in summa fact/ant
My little man is not so young

My little girl is like
34. III. 17. 18
was not so pretty
fact/ant

in summa & Quid.

33. 18p man in water

in summa ght'nta man.

9

3

1858

[The page contains dense, mirrored bleed-through text from the reverse side, which is mostly illegible due to the dark, textured background.]